



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiae Speculativae Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatae Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. Vtrum eidem objecto possimus assentiri ex motivo Scientiæ & Fidei, per vnum indivisibilem actú supernaturalé, & à nostro habitu infuso procedentem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

plere nostram ignorantiam circa plurima ob-
jecta; atque ut huic periculo erroris melius
consuleret, subiecit assensus obscuros imperio
voluntatis. Neque ab hac regula exemit as-
sensus Fidei, licet infallibiles; quia noluit eos per
experientiam posse discerni ab actibus fallibili-
bus, alioquin non essent amplius obscuri (ad-
vertat quæso hic lector, quàm clarè hic neget
Pallavicinus Discerniculum experimentale inter
actum habentem motivum fallibile, & habentem
motivum infallibile, si uterque sit obscurus, &
quodd obscuritas sit fundamentum formidinis) &
tolleretur meritum, quod habemus operandi de-
penderet à cognitione obscura. Hoc posito de-
buit Natura sic instituire cæteros obscuros assen-
sus, ut eos non adhiberemus, quando ex alio mo-
tivo objectum est evidens, alioquin incideremus
in periculum erroris sine utilitate: totam enim
utilitatem quam præstaret tunc assensus obscurus,
possumus percipere, si assentiamur per actum evi-
dentem & infallibilem ipsi probabilitati motivi
obscuri, præcindendo à veritate & falsitate.
Non debuit autem eximi ab hac Regula assensus
obscurus Fidei divinæ, ne de illo haberemus ex-
perientiam diversam ab alijs obscuris assensibus;
maximè quia ab hac exemptione nullum ferè
commodum oriretur, nam totum meritum pos-
set haberi credendo ipsam revelationem divinam,
quæ semper est obscura. Ita Pallav.

308. Hæc tamen probatio non convincit.
Respondetur enim negando suppositum, nempe
quodd Natura noluerit posse conjungi actum pro-
babilem cum evidente, ex hoc fine, ne sine fructu
exponeret hominem periculo errandi. Revera
enim nulli periculo exponeretur, cui non esset
expositus, etiam si non posset conjungi conclusio
opinativa cum conclusione evidente, dummodo
posset conjungi assensus obscurus immediatus
circa motiva obscura opinionis. Quando enim
hæc duæ conclusiones in eodem objecto materiali
concurrerent, nullus error committeretur circa
objectum materiale (nam hoc revera daretur,
quia, ut ponimus, sciretur) sed totus error esset
circa objectum formale seu circa motivum. hoc
autem periculum errandi maneret, hoc ipso quia
posset elici actus opinativus immediatus, circa
ipsum objectum formale directè, & tunc idem
error incurreretur quoad affirmationem, qui in-
curreretur eliciendo conclusionem opinativam.
Quodd autem tunc posset elici actus immediatus
circa motivum opinionis, non potest à Pallavi-
cino negari, nam ut ex recitatis verbis patet, non
obstante evidentiâ, potest stare simul actus Fidei
circa revelationem, etiam si non possit elici actus
illativus: ergo idem dicendum est de actu opi-
nativo, alioquin jam posset discerni per experien-
tiam actus Fidei ab actu opinativo, quod Pallav.
& meritò reputat absurdum. Et hæc circa secun-
dum argumentum Pallavicini. Contra Conclu-
sionem

309. Obijcies. Quandocunque manet
parte objecti totum motivum formale actus
actus, nulla est repugnantia, quominus maneat
ipse actus: sed stante Evidentiâ Metaphysicâ
huc manere potest totum motivum formale
ergo & actus Fidei. Distinguo majorem: Quo-
diu manet motivum, & nihil aliud superadditur
cujus negatio seu absentia supponitur ab ipso
actu, propter imperfectionem actus, concedo ob-
jectum, nego majorem, & eodem modo disti-
guo minorem, negatur Consequentia. Potest enim
subdistingui major: potest manere actus illativus
negotio, actus immediatus, affirmans ipsum mo-
tivum, concedo. & eodem modo concedo
negatur deinde consequentia. Infans est in
actu desiderij, & in actu opinativo, habente
nam formidinem actualem. Nam nec actus
boni desiderati est motivum desiderij, nec affir-
matio certitudinis est motivum opinionis, & tunc
utraque præsupponitur ad hos actus: ergo
negatio evidentiæ potest præsupponi ad actum
Fidei, etiam si non sit ejus objectum formale.

CONTROVERSIA III.

*Utrum eidem objecto possimus assentiri
ex motivo Scientiæ & Fidei, per quod
indivisibilem actum supernaturalem,
& à nostro Habitu infuso proceden-
tem.*

310. Negant Suarez, Turrianus, Falsus, Co-
nadus, Maratius, Card. Pallavicinus, &
quidem hic ultimus, ex novis fundamentis philo-
sophicis.

Affirmant Molina, Fonseca, & apud hos de-
randus, Okam, Gabr. Capreolus, Paladanius
item Valentia, Salas, Conimbric. Ariaga, Ordo-
do, Hurt. Lugo, Ripalda. Vtrique sententia
aliquid tribuendum existimo, & quantum fieri
potest, conciliandos Autores. Itaque

DICO 1. Non potest dari indivisibilis
actus supernaturalis Fidei nostræ, qui tendat in
motivum Fidei & Scientiæ, tali modo, ut moveatur
à similitudine illorum motivorum, hoc est, ut
ita assentiatur, ut in modo assentiendi obediens
intellectum non assensurum esse hic & nunc. I
motivum Fidei solum, sine motivo scientiæ appo-
neret: & hoc tribuo primæ sententiæ. Pro-
terea. Ille non est verus actus fidei, qui non sit
innititur auctoritati divinæ, ut vi suæ adhesionis
determinaret intellectum ad omnia credenda,
quæcunque Deus diceret, secluso quocunque alio
motivo: atqui actus, de quo procedit conclusio,
hoc non præstaret, hoc ipso quia niteretur forme-
liter & vnicè similitudine plurium motivorum, ali-
que non determinaret intellectum ad assensum
dum in absentia alterius motivi. Ergo &
311. DICO

311. DICO 2. Non apparet repugnantiam vnius indivisibilis actus, habentis duplex prædictum motivum, ita ut in illa motiva tendat quasi seorsum spectata, hoc est, ut adequatè satisfactura hic & nunc ad impetrandum assensum sibi proprium in absentia alterius motivi. Probat Conclufio, solvendo objectiones, & prius quidem communes, deinde speciales Pallavicini.

Obijciunt primò & principaliter. Duæ Differentiæ dividentes & oppositæ, non possunt convenire in eandem speciem; nam quævis earum est adequatè constitutiva suæ speciei: sed actus Fidei & actus Scientiæ habent differentiæ oppositas; ergo non potest utraque differentia convenire in vnum indivisibilem actum: hic enim actus participaret duas Naturas, seu species adequatas, & per consequens esset Ens rationis, sicut Hircocervus. R. Concedo totum. Nego suppositum. In nostro casu non conjunguntur duæ differentiæ aut species in vnum actum, sed ponitur una tertia species, quæ participat quidem aliqua prædicata positiva & differentialia aliarum specierum, sed non secundum ultimum complementum differentiarum, quæ est radix exclusivæ perfectionis alterius actus; in quocunque tandem hoc ultimum prædicatum consistat, sive in pura negatione, sive in prædicato aliquo nobis ignoto, ut existimant Moderni. Porro huiusmodi specierum exempla mille existere ait Lugo. sufficiat, vnum alterumve retulisse. Actio Solis & actio ignis specie differunt, sicut differunt Ignis & Sol: & tamen potest dari actio indivisibilis ab Igne & Sole procedens, & per consequens æquivalens duabus prioribus actionibus quoad prædicata nobis nota. Item duo assensus præmissarum differunt inter se specie, & habent objecta adæquata specie distincta, & tamen actus Conclusionis tendit indivisibiliter in objecta ambarum præmissarum, & insuper in objectum suum directum & proprium.

312. Pro Confirmatione Responsionis observo, quòd Philosophi discrepent inter se, utrum possint duo actus specie differre ex solo objecto Materiali, v. g. actus quo ob auctoritatem S. Thomæ credo Angelos differre specie, ab alio actu, quo ob ejusdem auctoritatem credo creaturas videri in Deo tanquam in medio: aliqui, ut Arriaga, affirmant, alij negant: negantes tamen fatentur, quòd tales duo actus differant plus inter se, quàm duo actus versantes circa idem objectum materiale & formale. dicunt enim, quòd differentia individualis suscipiat magis & minus, & habeat quandam latitudinem, prout jam communiter explicatur in Logica. Hoc observato, Confirmatur responsio experièntiâ manifestâ. Quando quis in sacris litteris legit historiam bene longam v. g. Josephi in Ægyptum venditi, in qua continentur objecta materialia valde diversa, circa quæ posset elicere, & fortè successivè elicit distinctos actus, saltem numero diversos, poterit in fine, tenens memoriter totam historiam, elicere

vnum indivisibilem actum æquivalentem prioribus distinctis, quo diceret: *credo totam historiam*; æquivalentem inquam, quoad aliquod prædicatum nobis notum, & in quo illi distincti actus differunt, cum aliqua majori differentia numerica, quàm quæ esset minima. Atqui non minùs absurdum est, duo individua coalescere in vnum, quàm duas species: ergo æquivalentia, quam in Thesi defendimus, non est coalescentia constituens chymæram. Contra hoc

313. Replicat Pallavicinus. Aristoteles reprehendit eos, qui assignabant pro differentiis avium: *esse pennatum vel impennatum*: eo quòd differentia debeat desumi ab aliquo positivo: ergo actus scientificus non differt ab actu fidei præcisè per negationem tendentiæ in motivum fidei, sed per aliquid aliud, & ratione illius prædicati repugnat actus æquivalens utrique. Respondeo primò. Pallavicinum in hoc argumento supponere, quòd nulla entitas creata possit differre ab altera præcisè per negationem perfectionis alterius: unde inferit, implicare Ubicationem & Durationem indivisibilem realiter, sed æquivalentem duabus imperfectioribus; quam doctrinam hodie, post Sylvestrum Maurum, negant RR. communiter. Vnde patet, Fundamentum Pallavicini esse infirmum. Sed tamen, ut cum eo liberalius agamus, dabo esse firmum. R. 2. Transeat totum argumentum, nego esse contra meam Conclusionem. Sicut enim suo argumento Pallavicinus malè concluderet, repugnare animal partim pennatum, partim non pennatum (opponeret enim se statim Gallus Indicus, qui circa collum caret pennis) ita non inferatur legitime, repugnare actum qui habeat motivum Scientiæ & Fidei, dummodo non haberet aliud prædicatum occultum, ob quòd actus purus Scientiæ caret motivo fidei: sicut Vespertilio ob prædicatum occultum, caret omnino pennis. Eodem modo, licet in genere differant animal pilosum & non pilosum, squammeum & non squammeum, nihilominus tamen Castor de utroque participat, quamvis non habeat illud prædicatum propter quòd carpio est totus squammeus.

314. Vrget tamen Pallavicinus, & ulterius probare conatur, quòd omnis differentia specifica debeat esse specialis perfectio. Omnis, inquit, differentia est aliqua pulchritudo & perfectio addita generi, propterea constituit speciem, cujus nomen sonat pulchritudinem & perfectionem: ergo non potest una species differre ab altera per meram radicalem negationem majoris perfectionis.

Ad hoc argumentum negatur antecedens, & datur instantia clara. Creatura differt à Deo: sed non differt per aliquam perfectionem simpliciter dictam: nam omnem huiusmodi perfectionem habet Deus: ergo differt per negationem radicalem majoris perfectionis.

Conatur ad hoc respondere Pallavicinus, & dicit, Deum non esse in genere, sed supra genus,

D d d

nus,

nus, & continentem totum genus, quia creatura distinguitur à Deo non per aliquam perfectionem, quæ non sit in Deo, sed per conceptum dicentem carentiam alicujus perfectionis divina, ac proinde creatura non differt specie, hoc est, perfectione à Deo. In creaturis autem inter se comparatis, res aliter se habet. Ita ille.

Hactamen responsione continentur pulchra verba, facientia questionem de vocabulo: quid autem ad rem ipsam dicant, ego non assequor. Creatura utique non differt à Deo solo numero: quero ergo, quomodo vocanda sit differentia hominis à Deo, si nec est differentia specifica, nec generica? quodcunque nomen illi imposueris, illud ego sine piaculo tribuam etiam differentijs earum creaturarum, quarum una alteram excedit perfectione. Verum audiamus Pallavicinum ulterius. Nulla inquit, est creatura, quæ in sua differentia specifica non contineat aliquam perfectionem, nulli alteri speciei communem, & ad quam ex necessitate materia consequantur negationes perfectionum, quæ sunt in alijs speciebus. Ratio est, quia nunquam Natura intendit malum, & negationem perfectionis primò & per se. Porro Aristoteles 10. met. c. 11. & 12. constituit diversitatem specificam in contrarietate formæ sub eodem genere, & ideo negat materiam differre specie à fæmina, quia eorum contrarietas versatur tantum in materia. atqui contrarietas dicit aliquid positivum, & forma semper sonat perfectionem & pulchritudinem. His positis si daretur aliquis actus respondens simul fidei & Scientiæ, utique actus solius Scientiæ v. g. non distingueretur ab illo nisi per negationem alterius prædicati dicentis perfectionem, ergo talis actus repugnat. Ita ille.

315. Respondeo. Quando dicis, quod Natura nunquam intendat malum & negationem perfectionis primò & per se, vel est sermo de Natura prout defecto concurrente cum causis secundis ad effectus, vel est sermo de Natura, hoc est auctore naturæ, quando primò creavit hoc universum, & has rerum species præ alijs elegit. Si Natura accipiat in primo sensu, dico, Naturam semper intendere primò & per se omnem illam perfectionem, quam potest in his circumstantijs, & cum his & non majoribus impensis obtinere: quia verò in hoc causarum concursu non continetur virtus producendi nobiliorem speciem, sed ignobiliorem, ideo, non quidem ex intentione Naturæ primaria, sed ex defectu majoris virtutis, producit speciem carentem majori perfectione, quæ reperiretur in nobiliore specie v. g. quando solus ignis est applicatus, producit calorem per actionem dependentem, & specificatam à solo igne; quod si sol fuisset simul applicatus, produxisset calorem per actionem dependentem simul ab igne & sole, & ab utroque specificatam. Pari modo, quando adsunt & excitantur solæ species intentionales circa motivum Scientificum, producit actus merè scientificus, non habens ten-

dentiam fidei, cujus carentiam non intendit natura per se, sed ex defectu concussæ non potest eam tendentiam intendere: quod si simul concuteretur species motivorum fidei, tunc vel produceretur actus indivisibilis fidei & Scientiæ, vel ex altiore fine (ut paulò post videbimus) fieri producerentur duo actus distincti.

Quod si verò sermo sit de Natura secundo modo accepta, tunc responderetur, quod Datur luerit species rerum ita producere, ut deinde concussas secundas possent commodè conservari. Non possent autem commodè conservari, si non quandoque different ab invicem, præcise pro carentiam alterius perfectionis, seu per eandem & defectum, ut patet ex priorè responsione.

316. Et quia Pallavicinus solet quandoque res physicas explicare per morales, nobis in presenti idem licebit. Sunt in Republica benedictina instituti diversi gradus Jurisdictionis, eorum infimus est simplex seu mercenaria Jurisdictio, ceteri gradus constituunt Imperium seuabile Judicis Officium, & à Bartolo sex enumerantur: Maximum, Majus, Magnum, Parvum, Minus, Minimum. Ecce! horum graduum unus alterum perfectione excedit, & in se ipsa perfectionem inferioris complectitur. In eodem Conditores Reipublicæ non poterunt divitiosè hos gradus instituisse, aut intendere uno gradu negationem majoris perfectionis, quæ licet tali loco secundum se considerato sit malum, carere perfectiore gradu Jurisdictionis, spectatamen ordine totius Reipublicæ, & bono publico fieri oportebat. Sic ergo dici potest, Naturam ex fine boni publici, potuisse intendere negationem perfectioris speciei, in certis circumstantijs.

Jam locus ex Aristotele adductus nihil parcinatur causæ Pallavicini; loquitur enim apertè de Contrarietate latè sumpta, prout etiam apparet inter formam illiusque privationem: viti sunt. Cum verò contraria specie diversa sunt, corruptibile autem & incorruptibile contraria sunt, privatio namque determinata impotentia, &c. Immo Aristoteles alibi dicit, quod species se habent sicut numeri: atqui numerus à numero differt tantum per negationem plurium unitatum, ergo secundum Aristotelem potest etiam una species differre ab alia per negationem plurium perfectionum.

317. Denique, demus verum esse quod Pallavicinus pro fundamento assumit, omnem creaturam in sua differentia specifica continere aliquam perfectionem, nulli alteri speciei communem, præ ad quam sequatur negatio omnium perfectionum existentium in alijs speciebus. Nihilominus tendendum illi est, prout etiam fatetur, non semper hujusmodi prædicatum esse nobis perfectum, & à nobis assignabile, ut patet in exemplis allatis: idem ergo de actu purè scientifico dici poterit, respectu actus qui simul esset Fides & Scientia.

Quod si quis ex me scire cuperet, quodnam hujusmodi prædicatum esse existimarem, v. g. in actu

actione ignis, respectu actionis quæ sit ignis & solis actio, dicerem, esse hoc quod est: *Non indigere sole ad sui existentiam, sive, habere sufficientiam ad existendum sine sole*; quæ est perfectio simpliciter simplex. Contra, actio pendens ab Igne & Sole, habet aliam specialem perfectionem, quam prior actio non habet, videlicet: *esse manifestativam duarum virtutum specie diversarum*. Totum hoc facile applicabitur actui purè scientifico, & actui participant de Scientia & Fide. Et hæcenus quidem ad argumentum commune DD. respondimus; nunc ad specialia veniamus.

318. Obijcit ergo 2. & specialiter Pallavicinus. Non experimur in nobis libertatem, immò nec cognitionem quidem ad faciendos hujusmodi actus distinctos potius quam indistinctos seu identificados: ergo debet esse naturaliter necessarium, vel ut semper sint distincti, vel ut semper sint conjuncti in vnam Entitatem: atqui congruentius fuit ordini naturæ, ut semper essent distincti: ergo id credendum est defacto evenire. Responderi potest 1. Nobis sufficere, quòd talis actus posset dari per potentiam Dei absolutam; sicut, etiam si in sententia adversarij defacto Potentia distinguatur ab anima, & Habitus supernaturalis morales distinguantur defacto ab Habitu Charitatis, non tamen hinc infertur repugnantia identitatis in alia specie. 2. Prout pridem respondi ad hanc objectionem, quam ipse mihi feceram in Libello de anima rationali, Anno 1645. Respondi, inquam, causam determinantem hic & nunc ad vnum potius quam ad duos actus, posse esse diversam excitationem specierum, præsertim si admisceantur alia species, representantes convenientiam seu concursum diversorum motivorum ad probandum idem. Posset etiam provenire à majori individuali perfectione animæ, juxta Sententiam S. Thomæ.

Verum, ne quidquam prætermittamus, placeat referre ex eodem Pallav. quibus argumentis probet suum subsumptum. Probat ergo 1. Quia Naturæ congruentius fuit elici potius distinctos actus, ut consuleret durabilitati. Sicut enim non fecit albedinem distinctam in duas species, quarum altera esset dulcedo, altera amarities ex gr. sed distinxit albedinem ab his alijs qualitativis, ut si quid superveniret, quod esset contrarium albedini, eà destructâ remaneret tamen dulcedo, & vice versâ, ita non debuit identificare in vna entitate prædicata duorum actuum distinctibilium, ut cessantibus requisitis ad conservationem vnius, alter permaneret.

319. Imprimis hoc argumentum supponit, actus intentionales esse qualitates permanentes, quod hodie plures negant, & merito. Sed demus ita esse, adhuc factus discursus non stringit. Quòd enim Natura ob causam allatam ita distinxerit albedinem à dulcedine & amaritie, id factum est, quia sæpè oportebat contingere, ut adveniret causa destructiva dulcedinis, & nulla tunc esset applicata causa statim productiva albedinis contra-

distincta à dulcedine; hæc autem ratio non procedit in casu nostro. nam etiam si superveniret aliqua causa destructiva Scientiæ, v. g. turbarentur species representantes motivum Scientiæ, adhuc maneret præfens causa sufficiens ad producendum actum Fidei, distinctum ab actu Scientiæ: adhuc enim (ut ponimus) essent excitatæ species representantes motivum Fidei, cum quibus intellectus posset continuò producere actum Fidei.

320. Secunda ejusdem probatio sic habet. Bonitas actus intellectus consistit in Veritate indivisibili, atque ideo inficitur ex falsitate cujuscunque motivi: ergo satius fuit, ut quoties motivum indivisibile non est ipsa similtas, toties ordo ad vnum motivum distingueretur ab ordine ad aliud motivum, ne pravitas vnius corrumpere bonitatem alterius. 2. 1. Motiva scientifica physica, per se loquendo & connaturaliter, non esse obnoxia falsitati, multò minùs motiva Fidei. & ideo non est certum, quòd natura ad cavendam falsitatem, instituerit diversos ordines pro diversitate motivorum. 2. Hoc argumento ad summum probari, quòd pro casu, quo motiva scientifica essent falsitati obnoxia, non produceretur vnus actus sed duo. Dixi: *ad summum*. nam meo judicio nec hoc probat. Natura enim amat parsimoniam entium: & ideo pro casibus ordinarijs vnum actum videtur instituisse: casus autem rarissimos non debebat curare: parum enim, & ferè nihil hac exceptione lucraretur. Si enim ponantur duo actus, quorum vnus est falsus, alter verus, nescio quid inde lucratur intellectus ultra id, quod haberet per vnum actum, qui illis duobus æquivaleret, & qui quidem esset & diceretur simpliciter falsus, esset tamen secundum quid verus. sicut non esset minùs æstimabilis qualitas, quæ simul affligeret & sanaret, quàm duæ, quarum vna affligeret, & alia sanaret.

321. Obijciunt alij 3. Si daretur vnus indivisibilis actus, ut vult conclusio, talis actus utique procederet ab Habitu Fidei, & ab habitu scientifico: sed hoc videtur absurdum. Non potest enim habitus producere actum ex motivo alieno, hoc est, quod non sit proprium illorum actuum, ad quos producendos est institutus ille habitus, vel, si est habitus naturalis, ex quibus est genitus. 2. Distinguendo probationem minoris. Non potest habitus producere actum ex motivo alieno, tanquam causa adæquata, & tanquam ex motivo adæquato, concedo, tanquam causa inadæquata, & tanquam ex motivo inadæquato, nego: sic autem se haberet in casu nostro. Sed Contra

322. Obijciunt 4. Concurrentibus duabus causis specie diversis, non producitur effectus habens perfectionem vtriusque causæ, sed imperfectior: atqui in nostro casu fieret contrarium. Major patet inductione in Mulo, Liscâ &c. 2. in his & similibus id provenire ex defectu concausæ connaturaliter requisitæ, loco

D d d 2

cujus

cujus imperfectior substituitur, ut loco Equi Asinus: hoc autem non fit in nostro casu.

324. Obijciunt 5. Talis actus esset perfectior suis causis, non tantum singulis seorsim sumptis, sed etiam simul sumptis, nempe propter indivisibilitatem & simplicitatem. 2. Negando simpliciter majorem. Nam licet ratione simplicitatis habeat aliquam perfectionem, quam non contineant causae formaliter, habent tamen causae alias perfectiones quibus caret actus, v. g. esse Ens permanens, esse potentiam ad actus specie diversos &c.

325. Obijciunt 6. Actus ille de quo disputamus, foret simul clarus & obscurus, evidens

& inevidens, quae tamen inter se pugnant. 2. Profore quaestionem de nomine, in qua dico, quod talis actus esset clarus saltem secundum unum, nempe ratione motivi scientifici. Unde potest simpliciter dici clarus, ut bene notat Ripstein, quia praedicatum Claritatis non dicit negationem omnis Obscuritatis, alioquin nullus actus tantum posset simpliciter dici clarus. Econtra Obscuritas videtur dicere negationem omnis evidentiae, & ideo talis actus non nisi secundum quid, nempe secundum motivum fidei, dicendus esset obscurus, & inevidens.

CAPVT V.

DE REPUGNANTIA FIDEI CVM FALSITATE.

CONTROVERSIA I.

An Deus possit revelare Falsum.

326. **P**raetermissa haeresi Priscillianistarum & Armenorum, asserentium, Deum defacto mentitum fuisse, Sententia quorundam Catholicorum fuit, Deum quidem non posse mentiri, prout *Mendacium* sonat formalem rationem malitiae moralis & peccati; posse tamen saltem de potentia absoluta (non tamen ordinaria) falsum revelare sine malitia, sicut potest occidere sine peccato homicidij. Ita Robertus Holkott, Petrus de Aliaco, Adamus Godamus, Almainus, Gabriel.

327. Contraria Sententia negans, est adeo certa, ut Suarez, Conink, Granadus, dicant, esse de Fide, alij dicant oppositam esse Temerariam, Erroneam, Haeresi proximam. Probatur assertio 1. ex S. Scriptura ad Hebr. 6. *Volens Deus abundantius ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit Jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium haberemus.* Vbi Card. Lugo ponderat Juramentum, quod licet in nobis addat obligationem supra simplicem assertionem, in Deo solum addat energiam, quia Jurare est asserere Deum in Testem. Deus autem non potest loqui quin asserat se in Testem, hoc est, quin interponat suam auctoritatem. Idem habetur ad Rom. 3. *Est autem Deus verax.* Jo. 8. *Qui misit me verax est.*

328. Probatur 2. Ratione. Deo debentur omnes perfectiones simpliciter simplices, inter quas una est summa Auctoritas in dicendo, digna summâ fide excogitabili, ita ut saltem ex hypo-

thesi quoddam Deus loquatur, teneamur credere ita esse, & non posse aliter se habere, adeoque praesentia auctoritatis divinae negare fidem contra alijs contradicentibus: atqui si Deus posset falsum revelare, non mereretur talem fidem, sed posset aliquando contingere, ut etiam praevidetur Deo non assentiremur, ob rationes probabilis quae occurrere possent, quod Deus hic & nunc decipere vellet, imò defacto possemus praevidere formidare, an non Deus voluerit falsum loqui per Jonam Prophetam, & alijs locis, à Suarez & Terriano relatis.

329. Confirmari potest hæc ratio. Videtur ex terminis absurdum esse, Deum non posse dedocere aliquem errorem suum auctoritate: atqui si Deus mentiri posset, tunc posset in nobis dari error, quem Deus nullo modo posset auctoritate interpositâ dedocere: ergo &c. Minor probatur. Nam semper possem formidare, an non Deus tunc mentiretur, quando me vellet errorem dedocere, quem ipse suo mendacio potius causâisset; nam volendo dedocere errorem, fateretur Deus, se prius fuisse mentitum: quare possem prudenter formidare, an non prius verum dixisset, & nunc vellet decipere.

330. Quæ ex Scriptura adduci solent, vel non habebant sensum absolutum sed conditionatum, qualis erat prophetia Jonæ, de inveniendis Ninive, vel significabant divinam permissionem alicujus deceptionis ab alio faciendæ, ut quando Diabolus permixtus est esse spiritus mendax in ore Prophetarum.